



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

Delvaux, André

Coloniæ Agrippinæ, 1686

§. 1. Quis dicatur Iudex ordinarius & à quo jurisdictio ea detur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62177)

4. Quartò, expletâ causa, ad quam specialiter fuerit constitutus Legatus. Verum tamen è provincia sibi decreta discedere, sine venia Pont. non potest, nisi hoc ipsum in commissione ejus contineatur: sicut nec è contra revocatus à Papa, & è Provincia egressus, ad illam redire potest sine novo mandato.

TITULUS XXXI.

De officio judicis ordinarii.

§. I.

Quis dicatur Judex ordinarius, & à quo jurisdictione ea detur.

1. Definitio seu descriptio Judicis ordinarii.
2. Jurisdictio ordinaria à quo detur.

Cum Tit. præcedenti egerimus de uno genere Ordinariorum Judicum, nimirum de Legato & antea etiam de Vicario Episcopi: proximum est, ut de officio Ordinariorum in genere tractemus.

1. Ubi observandum est, Judicem ordinarium dici ab ordine, eò quod talis Judex constitutus sit juxta ordinem communiter receptum & observatum in distinguendis, distribuendis, & pro unoquoque loco assignandis jurisdictionibus, ut satis colligere est ex *can. xii. q. 1. Conc. Trid. Sess. 14. c. 9. De reformat. & alibi*. Qui quidem ordo hoc habet, quod Princeps alicujus Reipub. (qualis in Ecclesia Catholica est summus Pont.) omnem potestatem & jurisdictionem penes se unum non retineat, sed aliis inferioribus magistratibus & judicibus variè communicet, jure ipsius magistratus competentem & officio coherentem.

Hinc igitur Judex Ordinarius dicitur, qui propriam jurisdictionem habet, id est quam jure suo seu jure Ecclesiasticæ suæ Prælaturæ, vel magistratus, quo fungitur, non autem alieno nomine exercet, *More majorum D. de jurisdict. om. iud. l. 1. D. de offic. ejus & c.* Eoq; pacto differt à delegato & vicario foraneo, qui jurisdictionem alieno, non suo nomine, exercent.

2. Jurisdictionem ordinariam tribuit in pri-

mis canon seu lex, *c. Duo simul 9. h. 1. & l. 1. D. de officio ejus cui mand. est jurisd.* Secundo summus Pont. & Princeps sæcularis, *can. à iudicibus 2. q. 6. can. Omnes Basilica xvi. q. 7.* & populus, habens supremam potestatem. Terriò, consuetudo legitime præscripta, *d. e. 9. h. 1. & ult. eod. in 6. & c. Cum contingat inf. de foro compet.* Quomodo universitates, etiam Studioium, & Collegia licita, quæ leges & statuta concedere possunt, et approbata consuetudine, Judicem sibi deligunt Ordinarium, *Octav. Veltius in praxi sua lib. 3. c. 3. n. 2.* Quartò privilegium, *c. Novis. vers. non enim inf. de iudicis.*

Ipsi verò Judices Ordinarii vel magistratus, summo Pont. aut Principe inferioribus, jurisdictionem quidem suam alijs mandare ac delegare possunt, ut ante diximus: non tamen tribuere ulli jurisdictionem ordinariam, *d. can. à iudicibus*; nisi fortè tamquam legis ministri: qui pacto jurisdictionem ordinariam dare dici potest Episcopus, creando Officium generalem, seu Vicarium perpetuum instituendo, vel confirmando, vel conferendo beneficium, cui annexa sit jurisdictione de jure vel consuetudine.

§. II.

Qui jurisdictionem ordinariam habeant.

1. Jurisdictionem Ordinarium habet inprimis summus Pontifex.
2. Item Patriarcha, Archiep. Episcopi & c.
3. 4. 5. 6. Jurisdictione Episcopi quatenus se extendit.
7. Item Ecclesiarum Collegiarum Præsides.
8. 9. Abbates & Priores in monachos, Abbatissas moniales.
10. Quinam prohibeantur esse judices ordinarii.

Jurisdictionem Ecclesiasticam ordinariam habent omnes Ecclesiarum Prælati, vel ex lege & Constitutione aliqua, vel ex consuetudine aut privilegio, *c. Duo simul 9. hoc tit. c. ult. eod. in 6. c. Cum contingat 13. inf. De foro compet. Glof. in c. 2. inf. de iudicis.* Atque inprimis summus Pontifex, qui omnium Christi fidelium judex est ordinarius, *can. Aliorum, & pluribus alijs, ix. quest. 3.* Ita ut pro diocesi propria universam habeat orbem Christianum, *Felin. in Gratia numer. 2. vers. & de hoc alias inf. eodem per can. Cuncta per munus d. q. 3. Gonz. ad Reg.*

vll. *Cancell in proemio §. 1. n. 8.*

2. Secundò Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, in sua quisque provincia vel diœcesi, *c. 1. h. t. e. Non minus inf. D. immunit. Eccl. a deo* que Ordinatorum nomine simpliciter pro lato soli ferè Episcopi denotari solent.

3. Item Episcopus in sua diœcesi Judex est ordinarius omnium causarum, ad forum Ecclesiasticum de jure spectantium, *c. Conquerente 16. h. t.* In spiritualibus quidem jurisdictionem habet tam in laicos, quam in Clericos, *c. Novit. versu. cum enim inf. De judic.* atque etiam in causis criminalibus Ecclesiasticis, cujusmodi sunt causæ hæresis, Simoniacæ, adulterii, quando agitur ad totam separationem, *c. 1. h. t. & c. Tua §. inf. De procurat.* Potestq; ubi opus fuerit, in vindicandis criminibus, ad forum suum spectantibus, implorare brachium sæculare, id est auxilium iudicis laici, si ve auxilium publicum, ut dicitur in *d. c. 1. h. t.* ut, si quæ criminum non possit iple sufficienter punire censuris Ecclesiasticis, vel aliis pœnis, ea per Judicem laicum sæviori pœna ac corporali animadversione, vel etiam gladio castigentur. Nam verum est Clericis, ad sacros Ordines promotis, de pœna sanguinis aut membrorum mutilatione iudicare, vel consilium iudicantibus dare, vel sententiâ eorû subscribere, aut eiu' modi pœnam infligere, ut patet *ex c. Postulasti 21. inf. De homicidio, c. Sententiam sanguinis inf. Ne Clerici vel Monachi &c. & similibus.*

4. In Clericos verò suæ diœcesis jurisdictionem habet ordinariam in omnibus causis, si ve criminalibus si ve civilibus: licet quidam Clerici alios etiam inferiores iudices habeant, veluti Decanos, Præpositos, aut Capitula, quibus immediate subsunt: necesse per hoc eximuntur à jurisdictione Episcopi, ne quidem in prima instantia *arg. l. ult. Cod. De jurisd. om. judic.* ubi qui de collegio sunt alicuius professionis vel negotiationis, nihilominus subiecti manent Præfidi vel alii superiori Judici.

5. Et hinc patet notabile discrimen inter Archiepiscopos & Episcopos, quia Archiepiscopi non habent jurisdictionem ordinariam in subditos Episcoporum, uti nec Patriarchæ in subditos Archiepiscoporum; nisi certis casibus, ut cum per appellationem causa ad eos devoluta est, vel nisi ex consuetudine aut privilegio jurisdictionem in illos acceperint, ut ante di-

ctum fuit. Ratio hujus est, quod Archiepiscopus non sit Iudex totius provincie suæ, nisi quoad jurisdictionem Archiepiscopalem, *can. per singulas x. q. 3.* jurisdictionem verò Episcopalem habeat tantum in sibi subditos. Hinc est, quod Archiepiscopus non possit Suffraganei sui subditum cogere, ut delegationem Archiepiscopi in virtus suscipiat, *c. Pastoralis 11. in prin. h. t.* Quod si inferiores Iudices, subiecti Episcopo, sententiam aliquam, veluti excommunicationis vel interdicti, in sibi subiectos protulerint, eam Episcopus usque ad dignam satisfactionem inviolabiliter, servare tenetur *c. Cum ab Ecclesiis 3. c. ad reprimendam §. h. t.*

6. Plainè cum dicimus, permissum esse Episcopo in sua diœcesi de adulteris, aliisque criminibus (ubi scilicet fama est de iis perpetratis sufficiens, quæ moveat ad inquisitionem de veritate) inquirere, iudicare, & ulcisci, secundum Canones, *d. c. 1. h. t.* etiam omni appellatione remota, & consuetudine non obstante *c. irrefragabili 13. h. t.* atque etiam, ubi opus fuerit, brachium invocare sæculare, *d. c. 1. c. Quoniam 14. in fine h. t.* hoc ita limitandum est, nisi Canonici excipiant, se Capitulo, non Episcopo, immediate iussisse, ex privilegio aut longa consuetudine: quo casu Episcopus præscribet Capitulo certum diem, intra quem de Canonicoꝝ excessibus cognoscat, eosque puniat: quod nisi fecerit, lapsò termino ad Episcopum spectabit cognitio. Alioquin in exemptos suæ diœcesis jurisdictionem exercere nequit, licet rescripto summi Pontificis mandatum illi esset, ut omnes suæ diœcesis Clericos corrigere possit, *c. Grave 19. h. t.* quia in mandato generali non veniunt ea, quæ verisimile est mandantem non fuisse concessurum, *can. in generali Dereg. jur. in 6.* ideoq; ad hoc opus esset speciali mandato. De aliis ad officium Episcopi spectantibus vide *Canil. lib. 1. c. 16.*

7. Insuper jurisdictionem ordinariam habent Ecclesiarum Collegatarum Præfidi, ut Præpositi, Decani, Plebani, alique Prælati inferiores Episcopo, in sibi subditos, *c. 3. h. t. c. 2. inf. De iudic. c. Dilectis 55. inf. De appel.*

8. Veluti Abbates & Priores in sibi subiectos Monachos, *c. Illorum inf. De sent. excom.* Neque enim Episcopus in Monachos, sed Monasteriorû Prælati jurisdictionem exercent, etiam in criminalibus, *c. Ea qua inf. De statu Mona. horum :*